



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,  
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

**Fumo, Bartolomeo**

**Antverpiae, 1570**

Beneficivm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30427**

manipulo corporali, vel similibus, que non habent propriam formam. Unde secundum Pe. de Pal. de longo manipulo liceret facere stolam, & contra & cingulum ruptum possumus connectere, vel ex vna parte nos cingere. De casula dupla possumus facere duas, dum modo amba manent integra. Idem de stola dupla. Quis possit has vestes benedicere supra, Abbas. §. 8. infra, Consecratio §. 12.

**BENEDICERE** non potest mulier, nisi ut bonus Christianus. cap. noua. de pen. & remis. quia que sunt ordinis, non cadunt in muliere. in d. capitul. noua.

**BENEDICERE** mensam, pertinet ad sacerdotem, & presente illo diaconus non potest, nisi esset Cardinalis, secundum no. 63. d. c. legimus.

**BENEDICTIO** aquę est certi ordinis, secundum Inno. in c. i. de ex. pra. la. lib. 6. Ideo esset irregularis, excommunicatus, vel suspensus, illam benedicens. supra, Aqua §. tertio. Secus si de benedictione mensę, quę non est ordinis. De benedictione aquę. supra, Aqua §. 1.

**LIBER** ecclesiastici non sunt benedicendi, secundum glo. in capit. de pigno. Quis potest calicem corporalia, & c. benedicere, supra, Abbas. §. 8. infra, Consecratio §. 1. De benedictione nuptiarum, infra, Impedimentum §. 62. Nuptię per totum. Vestes benedictę a schismaticis sunt rebenedicendę, secundum Pe. de Pa. 4. d. 24. licet illę, cum quibus celebrantur, non sint rebenedicendę, secundum eundem Petrum. ibi, sicut nec altaria, in quibus celebrare, reconsecrati debent. de sacram. non iteratid. capitulo, nobis.

## BENEFACERE.

**BENEFACERE** tenemur, secundum preparationem animi omnibus, si tempus, necessitas, & facultas adsint: magis tamen, & prius propinquo, nisi tempore necessitatis magnę, in qua plus extraneo quàm propinquo tenemur, si in eo sit extrema ne-

cessitas & non in propinquo, secundum Thomam secunda secundę, quęstione 31. 1. 2. & 3.

**BENEFACERE** non ex amore, sed timore, reputatur non benefacere. vigesima tertia, quęstione quinta, canone. ad fidem. infra, Eleemosina. §. primo. Malis in auxilium naturę, non autem culpę benefacere debemus. Thomas secunda secundę. quęstione vigesima quinta, a. 6. Romę. 12. lectio. 2. fin.

## BVLLÆ.

**BVLLÆ** Papales, possunt deprehendi falsę, comparando scripturam ad scripturam, modum distandi, chartam considerando, an sit rasa, & pulchra, an sint ibi in scriptura consueti tractus calami, & puncta solita fieri, si sigillum sit omnino completum & æquale, si Episcopus vocatur frater, & Cardinales fratres, & inferiores filij, si est veritas, vel falsa: & alia, de quibus Panormitanus de crimi. falsi. capitulo, quàm graui. & capitu. licet. vbi nouem modi. notat. & de rescrip. per tot.

**DE** excommunicatione falsatorum infra, excommunicatio. 12. Si aliquid conceditur in priuilegio, quod ab omni æquitate deuiet, & a communi cursu priuilegiorum, præsumitur a se de Apostolica non emanasse, secundum Panormitanum in dicto cap. quàm graui.

## BENEFICIUM.

**BENEFICIUM** ecclesiasticum secundum Felinum in capitulo, in nostra. de rescriptis. est duplex, scilicet seculare, & religiosum a rectore. Nam seculare est, quod per clericum secularem, vel per plures fuit gubernatum, religiosum verò eodem modo per religiosum. Nec gubernatio alicuius secularis frangit præscriptionem præcedentis regularis, nisi esse per tempus annorum quadraginta, & fuisset ibi postus, ut mutaretur status, quod Episcopus facere potest, & secundum eundem Feli in impetratione debet fieri mentio, si sit beneficium seculare, vel regulate, ali-



per imperatio non valet. vide ibi dictum Felini, qui multa dicit pertinens ad regulas cancellariae, vt citat Tab. verbo, beneficium. secundo, in principio.

<sup>2</sup> BENEFICIUM regulare diuiditur in simplex, vt canonicatus regularis: & duplex, vt abbatia, prioratus, & habens iurisdictionem.

<sup>3</sup> BENEFICIUM seculare diuiditur, quoniam aliud est summum, vt Papatus: aliud est maius, vt Episcopatus: aliud mediocre, seu duplex, vt dignitas personatus, vel aliud habens curam animarum. Aliud simplex, vt canonica, capellania, aduocatio, & huiusmodi. Aliud non habens administrationem, quod largo modo dicitur beneficium: vt quando quis habet beneficium non in titulum, vt sunt capellani, ad nutum amouibiles, sed quando habet in titulum aliquod beneficium, cui est assignata dos, quantuncumque sit simplex, dicitur habere beneficium cum administratione, secundum Geminianum in capitulo, praesent. de officio ordinarij, libro sexto. Et quia omnia ista aliquam spiritualitatem includunt, ideo dicuntur beneficia ecclesiastica.

<sup>4</sup> EST & aliud beneficium, scilicet simplex praebenda, sine spiritualitate. quae potest conferri laico, secundum Panormitanum in capitulo dilecto. de praebendis. quinto notabili. Ex quo sequitur, quod habens a Papa praebendam sine spiritualitate, non oportet quod sit clericus, vel quod dicat officium, ex quo non est beneficium ecclesiasticum: secundum Felinum in capitulo, ad audienciam. de rescriptis.

<sup>5</sup> BENEFICIUM ecclesiasticum per ordinatum regulariter confertur, nisi ex statuto speciali, vel consuetudine, ad alium pertineat, seu per alium inferiorum praelatum, in conferendis beneficijs ius Episcopale habentem: quia talis secundum Pa. in c. quae situm. de rer. perm. exercet omnia iura Episcopalia, quae sunt iurisdictionis.

<sup>6</sup> CAPITULUM sede vacante, non potest illa conferre, quae ad Episcopi collationem spectant: quae vero ad Episcopum, & capitulum communiter pertinent, potest. Posset etiam huiusmodi beneficia conferre Episcopo suspenso a collatione beneficiorum, etiam si Episcopus in tali collatione haberet interesse, tanquam praelatus. Et idem potest Episcopus capitulo suspenso, vel maiori parte, vel omnibus maiori excommunicatione excommunicatis. c. si ad Episcopum. ne sed vac. libr. 6. Si vero ad Episcopum cum consilio, vel assensu capituli spectat, non potest se intromittere, nisi suspenso esset in mora petendae relaxationis. Si autem capitulum, vel alius, de consuetudine, vel statuto, debet conferre de consensu Episcopi, defuncto Episcopo, vel in remotis existentibus, ita quod in breui eius praesentia haberi non potest, non propter hoc debet differri collatio, vt in d. c. si ad Episcopum.

<sup>7</sup> DE collatione beneficiorum ad Papam spectantium, quia parum ad confellores pertinet scire, pertranseo: tamen vide Tab. vers. beneficium. 2. §. 5. & c. licet. el. 1. c. statutum. c. praesentis. c. si apostolicam. de presb. libr. 6. & Felini in c. in nostram. de rescriptis.

<sup>8</sup> Praesentati a patronis sede vacante, licet si Episcopus viueret, ad eum pertineret, a capitulo tamen possunt admitti, & institui, vt in c. & si capitulum. de inst. libr. 6.

<sup>9</sup> Si Episcopus absenti conferat beneficium, licet non fiat illius donec conserferit, tamen Episcopus non potest alteri conferre, donec illi recuauerit: & si conferat, non tenet collatio, nisi terminum assignasset, infra quem consentiret: quo elapso, & non consentiente, potest conferre. Si autem consentit elapso termino antequam alteri detur, valet in c. si tibi absenti. de presb. libr. 6.

<sup>10</sup> EPISCOPVS, vel alius, cui mandatum est prouideri clerico pauperi de beneficio, non tenetur amplius prouidere, si ipse clericus aliud beneficium consecutus.



consecutus est. ut in ca. si pæuper. de præben. lib. 6.

<sup>16</sup> **EPISCOPVS** tenetur providere de beneficio ei, quem ordinavit in sacris. c. eum secundum de præb. Similiter ei, quem per alium ordinari commisit, ut certa persona, de præb. lib. 6. ca. si. Episcopus. nisi suam, vel paternam hereditatem, unde sustentari possit, habeat, secundum glo. in d. c. si Episcopus. vide supra Archidiaconus. §. 5.

<sup>17</sup> **ORDINATUS** ad titulum patrimonij paterni potest illud vendere, secundum veriorum opinionem, sicut potest beneficio renunciare, nisi bona patrimonialia trāsissent in beneficiū.

<sup>18</sup> **SI** Episcopus commississet ordinari clericos talis villæ, vel suæ diocæsis, solum in generali, non tenetur ipse committens eis providere, sed ordinator. Neque etiam tenetur pro ordinatis ad ordines minores. in d. c. si Episcopus.

<sup>19</sup> **PROMITTENS** alicui de beneficio non vacante providere, vel qualitercunque promittat cū potuerit, non tenetur, & promissio est nulla. c. detestanda. de concess. præb. lib. 6.

<sup>20</sup> **RECIPIENS** beneficiū ecclesiasticum de manu laici, secundum Inno. in ca. quisquis. de elect. ipso iure est intelligibilis, potest tamē Episcopus dispensare cum eo, secundum eundem arg. in ca. nuper. de sent. exc. infra. Ecclesia. §. 13.

<sup>21</sup> **POTEST** quis renunciare beneficio, ut alij provideatur, dummodò in actu renuntiationis non deducat in pactum, sed ipsam renuntiationem purè & liberè faciat, secundum Pa. in c. dilecto. de præb. aliàs esset simonia, ut dicit glo. in c. dilecto. Si autem gerit in animo deducere in pactum, dummodò non faciat pactum, licet sit simonia mentalis, & consequenter mortale peccatum, non tamen puniatur per ecclesiam, secundum Fel. in c. quia veri simile. de præsumpt. circa princi. infra. Renuntiatio. §. 3.

<sup>22</sup> **EST** regula cancellariæ. 18. quod infirmus renuntians, vel permutans, nisi post renuntiationē, vel permuta-

tionem viuat per. 20. dies post mortē, beneficium dicitur vacare.

<sup>23</sup> **BENEFICIUM** ecclesiasticū solum dari potest clericis non coniugatis, & habentibus ætatem debitam, ut infra dicemus. §. 3.

<sup>24</sup> **CONIUGATUS** clericus, nedum ecclesiasticam beneficia, sed nec etiam ecclesiasticam administrationem habere potest & credit Pa. quod per hoc non potest esse vicarius Episcopi in c. sane. cl. 1. de cler. coniu. quod tenent docto. c. 1. eod. titul. lib. 6. infra vicarius. Nec potest cum eo dispensari per Episcopum, ut habeat beneficium ecclesiasticum, licet per Papam, secundum Pa. in c. lo. de cle. conjug.

<sup>25</sup> **SI** beneficiatus contrahat in sacris per verba de præsentī, secundū doct. in ca. 1. de cle. coniu. non est priuatus ipso facto, sed priuandus, quia matrimonium non tenet, idēō vxorē dimittere compelletur, & est excommunicatus. infra, excommunicatio. 45. impedimentum. §. 42. Si verò est in minoribus tantum, & contraxit sponsalia, ipsis solutis ad beneficium suum redire poterit. Secus si contraxit per verba de præsentī matrimonium, non recuperabit beneficium: quia vinculum incompatible cum ipso beneficio contraxit. Eodem modo perdit beneficium clericus in minoribus contrahens cum consanguinea, etiam quod probata consanguinitate matrimonium rumpatur. Quomodo Episcopus dispensat, supra, apostata. §. 13.

<sup>26</sup> **FILIVS** legitimus sacerdotis, potest iohinere beneficium ecclesiasticū in ecclesia patris, ut in c. ad hęc. de fil. presby. dummodò, ad illas dignitates, vel præbendas, quas immediatè pater eius habuit, non promoveatur. c. cōstitutus. de fil. presb. idē de nepotibus dic de iure in hæreditatem succedentes, ut sunt nepotes per rectam lineam descendentes, qui filiorum nomine intelliguntur. instit. de hære. qual. & dif. §. sui. secundum Hosti. & c. ad extirpandas. de fil. presby.

<sup>27</sup> **NEPOS**, secundum Hosti. potest ponī



ni in ecclesia, quam avus eius habuit, patre eius vivente, non autem motuo, quia in primo casu cessat ratio successione, & non in secundo.

<sup>23</sup> S I pater habuit personatum, immediatè filius, non poterit habere vicariam in eadem ecclesia. c. Michael, de fi. pref. & econtrà, in d. c. constitutus. de fi. pref.

<sup>24</sup> I N beneficio simplici, cui nō imminet animatū cura, cū illegitimo potest Episcopus dispensare. c. is qui. de fil. presb. libr. 6. & non oportet secundū gl. ibi distinguere, an sit spurius adulterinus, vel naturalis. In alijs autē solus Papa infra, Dispensatio. §. 22.

<sup>25</sup> I N canonicatu in Ecclesia cathedra li, potest Episcopus dispensare cum prædictis, secundum Arc. in d. c. is qui, ex quo non inveniuntur prohibitum. Concor. Ge. & Io. Mo. quamvis alij dicant non, tamen primum melius. In personatu autem, vel dignitate sine cura, non potest, sed tantum Papa, secundum glo. in d. c. is qui. & eā doct. cōmuniter sequuntur.

<sup>26</sup> I N rectoria, & omni beneficio, cū prædictis poterit dispensare Episcopus, dummodo non cadit nomen dignitatis, vel personatus, vel curam animarum habeat. Quidam verò tenent cōtrariū, ut dicit Ge. in d. c. is qui. Et quia hæc habent varias opiniones, & maximè de dispensatione in beneficio simplici cū cura animarum, quia quidam volūt quod Episcopus possit, ideo vide Ge. Archid. Lapum. Ioan. Imo. in d. c. is qui.

<sup>27</sup> S I statuto iurato, & per Papam approbato, in Ecclesia cauetur, quod nullus illegitimus ibi promoveatur, Episcopus non poterit dispensare: secundum Io. Mo. & Ge. in d. c. is qui. Secus si non esset iuratum, vel confirmatum: secundum nor. c. licet canon. de elect. libr. 6.

<sup>28</sup> S I cum illegitimo dispensat Papa: ut ad ordines sacros promoveatur, nō tamen per hoc dispensatur, quod possit habere beneficium cum cura: secundum Ge. in d. c. is qui. Vide aliqua in verbo, Clericus, infra.

<sup>29</sup> S I cum illegitimo dispensetur, ut possit habere beneficium Ecclesiasticum, & dispensatio sit super certo beneficio, non potest post primum habere aliud, vice dispensationis, si ex culpa sua fuit: ut illud non haberet: secundum Ge. in d. c. is qui. Secus si non fuit in culpa, & dispensatio fuit super incerto beneficio, tunc poterit obtinere post primum aliud, secundum eundem.

<sup>30</sup> S I talis dispensetur super beneficio curato, non propter hoc poterit habere dignitatem: secundum Ge. in c. si. de fil. pre. quia ista ponuntur ut diversa. in d. c. si. ideo vno concessio, nō venit aliud.

<sup>31</sup> I L L E G I T I M V S, vel irregularis, dispensatus in ordine, & beneficio, & promotus non potest impetrare super pluralitate, nisi facta mentione de illegimitate, & irregularitate: secundum Ge. in d. c. si.

<sup>32</sup> E P I S C O P V S cum prædictis illegitimis dispensare non potest: ut plura beneficia simul possint retinere: secundum Ge. ubi supra: quia quando cōceditur alicui: ut possit beneficium conferre, intelligitur tantum de vno. in c. is cui. in. 1. respo. de præben. libr. 6.

<sup>33</sup> E P I S C O P V S non potest dispensare, quod illegitimus in ecclesia patris sui vivētis, habeat beneficium simplex, vel præbendam, in c. cum decorē, de fil. presb. neq. canonicatum. c. cū audientiam. de fil. presby. neque mortuo patre dispensari potest super beneficio, vel præbenda, quam pater immediatè tenebat, secus si non tenebat, vel mediatè tenebat: similiter de canonicatu: secundum veriorē opinionē, licet Goffr. dicat, quod canonicatum in eadem ecclesia nunquam habebit.

<sup>34</sup> D I S P E N S A N T E Papa cum illegitimo, ut possit habere beneficiū curatum, nō propter hoc poterit habere beneficium, cui per electionem esset præficiendus, nisi in impetratione fieret mentio de beneficio electivo: secundum Felij. supra, quia Papa non intendit præiudicare electoribus, quia oporteret tunc facere specialem mentionem:



tionem: secundum Fel. in c. veniens. de accus. & hoc magis mihi placet, licet Ge. in d. c. is qui. videatur tenere oppositum, dicens per talem dispensationem vitium ex toto ablatum.

35 **INFERA** quod dies debeât fieri electiones beneficiorum vacantium: vide c. ne pro defectu de electio. Archi. Flor. 3. part. titu. 15. Tab. beneficium. 2. §. 21. Hoc confessori parum confert.

36 **APPETERE** beneficiū siue curatū, siue non, ex suo genere peccatum non est, quia eius obiectum, infra ordinem appetibiliū recta ratione est, sed peccatū cōtingit ex defectu alicuius circumstantiæ requisitæ. Caiet. ibi. in summa.

37 **APPETENS** beneficiū plenē curatū, vt Episcopatum: vel nō plenē curatū, vt parochiam, & sciens se habere conditiones requisitas ad tale beneficiū, non peccat ex parte personæ, concurrentibus alijs circumstantijs, vt bono fine, & modo debito desideret. Debet enim vires proprias mensurare, ad regimen animatum, ne præsumptuosē assumat, & ad oues suas, à quarū vita ita distare debet, sicut vita pastoris à grege. Debet habere respectū ad alios, ne se dignioribus, vel æqualibus præferat: hoc enim esset acceptio personarum. Quo autem ad finem, ne appetat propter vitam delicatam, vel splendidam, vel opulentam, vel alio malo fine. Ex Caiet. ibi supra.

38 **QVI** paruifacit prædicto modo se commensurare, ob appetitum beneficij curati, appetēs peccat mortaliter, quia cōtra charitatem ouium Christi agit, & contra iustitiam distributiā. Secus quādo simpliciter, & bona intentione appetit, non cogitans de dignioribus, nec intendit eos impedire, etiā quod cogit de illis, sed pro se procurare, vt licitē habeat, tūc nō peccat. ex Caiet. supra. infra, Cathedra. per totū.

39 **EX** dictis haberi potest, quando est mortale peccatum procurare beneficium, quia quando nō licet appetere, non liceat etiam procurare. Sed quia actus exterior potest scandalizare proximum, maiori rectitudine indiget, ideo in procurando, maiori cautela

vtendum est. S. Tho. 4. sent. d. 25. q. 3. a. 3. ad 4. & secunda secundæ. q. 100. a 5. ad 3. videtur dicere, quod quis si sit dignus, potest petere pro se beneficium ecclesiasticum sine cura animarum, si indiget, nō autem si habeat curam, quia præsumptuosum est, & redidit indignus ex ipsa præsumptione: & sic offert preces pro indigno. Potest tamen dici: secundum Tho. quod 9. q. vlti. ar. penult. quod hoc est verum, si petat vt sit ditior, vel lautius viuat, vel facilius ascendat, & similia: sic enim peccatum est, non autem si petat propter necessitatem, ne mendicet in vituperium clericatus, vel vt possit prodesse, vel similia, ex quo est ordinatus, & non habet defectum, potest petere, & sic debet intelligi Sanct. Tho. & cōcordat etiam Caiet. supra, qui dicit, quod ideo à doctoribus datur petere regimen animatum, quia vix possibile est, vt homo integri sensus, & recte mētis reputet se habere prædictos respectus, sine quibus appetere est præsumptuosum absolute. Appeteret autē secundum quid, id est, si superiori placuerit, vel videbitur expedire, cognoscendo se indignum, cum tremore cōmittendo negotium Deo, pro honore Dei, & salute ecclesiæ, non est perniciosum, sed veniale, nisi charitate urgente, quia hoc non est petere, sed offerre se, si opusest. Nō est ergo in magno periculo indigens, & dignus, hoc modo offerens se pro beneficio simplici curato, vacante: secundum Caiet. supra.

40 **NON** residere in beneficio, de iure requirente residentiam, sine rationabili causa, de genere suo mortale peccatum est: vt quando est beneficium curatum, quia est contra iustitiam, & contra debitam charitatem: Paucitas autem temporis, vel damni, à mortali potest excusare, de cie. non te. c. quia nonnulli.

41 **DISPENSARE** malè prouentus ecclesiasticos, mortale peccatum est: vt si ea, quæ superfluum necessitati naturæ, & personæ, dispensantur in dantando propinquos, in pompis, & luxibus,



ribus, vel in alijs exorbitantibus. Non enim est dominus, sed dispensator ecclesiasticorum prouentuum, quos in pauperes Christi dispensare tenetur, si ultra necessitatem suam supersunt.

42 H A B E N S beneficium quantumcunque simplex, quod per se sufficit ad vitam beneficiati: secundum Pan. in ca. conquerente. de cler. non re non potest aliud tenere sine peccato mortali: ut dicitur glo. in c. dudum. el. 2. de elect. Limita. secundum Pano. si propter se tantum habet. Secus si collatum esset non ratione sui, sed propter utilitatem beneficiorum, ut quia est homo bonae conscientiae, vel industrius: ut in c. cum iadudum. de praebend. & non est tutus talis in conscientia, etiam si a Papa dispensetur, si pro sua utilitate, beneficium est ei collatum: secundum Panor. in d. ca. dudum. quia in tali casu patrimonium Christi iniuste dispergitur. Hoc tenet Hostien. in d. c. dudum. & Ioan. And. Caiet. etiam in summa idem videtur affirmare, quando beneficia sunt incompatibilia, quia residentiam requirunt, & non est possibile in omnibus residere. Posset tamen talis excusari propter necessitatem, quando plures ecclesiae alicuius obsequio iudgerent, vel plus, aut tantum, seruire ecclesiae posset absens quam praesens, vel quando plures idonei non inuenirentur, vel praerogatiua meritorum hoc requireret, vel alia rationabili causa: tunc enim cum dispensatione esset tutus in conscientia. Vide Thom. q. 9. q. vlt. 2. pe.

43 H A B E N S plura beneficia in comparabilia, cum dispensatione, sine tamen causa rationabili, si eis bene prouidet per vicarios, ita ut non accidat ecclesijs aliquod damnum, neque circa temporalia, quantum ad ecclesiarum reparationem opportunam, quantum ad paramenta, ad numerum ministrorum diuini cultus, & ipsius Dei cultum, & sacramentorum ministracionem, nec circa curam animarum, quod & si sit hoc possibile, est tamen difficile, & ratum, potest absolui, etiam quod vno beneficio retento, alia nolit renuntiare. Si

autem damnum aliquod notabile de praedictis interuenit, neganda est absolutio: quia continuatio pluralitatis beneficiorum hoc modo non est absque mortali peccato, & hoc est ex parte damni ecclesiarum. Ex parte autem distributionis, licet in distributione acciderit peccatum iniquae distributionis, non propter hoc tenetur ad renuncian- dum, sed ad bene regendum, Igitur pensanda sunt duo ultra damnum ecclesiarum, videlicet damnum clericorum bene meritorum in illis partibus, qui de his beneficijs honorari deberent, & sustentari. Secundum scandalum bonorum virorum, qui ex talibus iniquis distributionibus scandalizantur, & alij similia audent, & sic ruit ecclesia. Et quia haec paripendit, quia sic communitur fit, & Papa dispensat, imo dissipat, non est absoluendus. Ex Caiet. in sum. ibi.

44 H A B E N S beneficium curatum, si secundum eum cura recipiat, ipso iure est priuatus primo, statim addepta pacifica possessione. capitul. de multa. de praebendis. vel quando per eum stetit, quo minus haberet. capitul. licet el. 2. de praebendis. libro sexto. Et nisi primum resignet in manus eius, cui competit, ipso iure est priuatus etiam secundo. Et ad quodcunque beneficium, & ad sacros ordines inhabilis est: cuius dispensatio ad Papam pertinet, per extrauag. Ioan. 22. quae incipit, execrabilis. Et hoc tenet in omni beneficio, quod requirit residentiam, non absolute, sed residentiam sub poena priuationis beneficij: ut si statuto, vel consuetudine, hoc caueatur in gl. capitul. gratia. de rescript. libr. 6. quia tunc est eadem ratio, aliis secus, quia in iure non reperitur expressum. Concordat Panormita. in capit. quia non nulli. de cleric. non re. Fallit in multis casibus. Primo, quando primo est annexum secundum capitulum, super eo de praebend. libr. 6. Secundo, quando expendit de proprijs bonis in utilitatem primi beneficij, & ipsum retinet, donec sibi fuerit satisfactum: secundum Ant. de Buc. per capit. quicumque. 1. 2. q. 4. &



q. 4. & sufficit quòd expensa sit incepta. secundum Ioan. in capit. ex parte de cõstit. licet pòst à casu sit totù perditum. Tertio, quando acceptauit calore iracundiæ: secundum Io. de Lig. facit gloss. in capit. ex literis. de diuor. quæ vult, quod confessio ex iracundia facta, non prziudicet. Quarto, quando acceptum est ad tempus, donec aliter beneficio fuerit prouisum: secundum Petr. de Anch. capit. j. de consuetudin. lib. sexto. Quinto, quando commutauit vnum beneficium in aliud, habens alia beneficia curata, dummodò possessionem ipsius beneficii in quod commutauit, non fuerit nactus. clementi si plures. de præbend. Sexto, quado per dispensationem: vt in capit. dudum el. 2. de elect. Septimo in episcopatu, quino vacat per secundum: vt dicit Innoc. in clementi. gratiæ. de rescrip. Octauo, quando primum, vel secundum esset locus derelictus ab habitatoribus. de electio. lib. 6. capit. licet canon. oppositum tamen tenent Abb. & Innoc. Nono, quando ignorabat. cap. gratia. de rescript. lib. 6. Decimo, si secundum recipit in alio episcopatu, maximè si requirat residentiam. & cum licentia Episcopi primi beneficii. capit. si quis. 21. q. 1. Et accipitur beneficium largè. quomodocunque iurisdictione exerceat.

41 EPISCOPVS causa rationabili interueniente, potest dispensare, vt quis habeat vnum beneficium curatum, et aliud simplex, in diuersis tamen ecclesijs, & in vna ecclesia habeat plura simplicia: secundum gloss. in capit. literas nostras de cõsels. præben. dummodò sint deformis: secundum Ioan. Andr. vt dignitatem, & canonicatù. & hoc sequitur Pa. in d. c. literas. non autem in duobz cõformibus: vt duos canonicatù.

46 DVORALTARIA nõ possunt haberi in titulum, in eadem ecclesia, ab eodem, ex dispensatione Episcopi: secundum Gui. de Mou. quia altaria data in titulum perpetuum, dicuntur beneficia: secundum gloss. clemen. 2. de deci. se-

cus quando non dantur in titulum, ex dispensatione Episcopi. In personatibz vel officijs perpetuis, quocunque nomine censeatur, solus Papa dispensat. c. de consuet. in eadem ecclesia, vel in diuersis: secundum Doctor. per cap. quia nonnulla. de cle. non re. quamuis Innocent. in d. c. multa videatur dicere, quod Episcopus potest in diuersis ecclesijs dispensare, dummodò curam animarum non habeant.

47 CASVS in quibus quis plures ecclesias, vel præbendas habere potest sine dispensatione, sunt hi. Primus, quado sunt ita tenues, quòd neutra sufficeret ad sustentationem. de reli. do. c. quia monasteriù. Secundus, quando vna ex altera dependet. c. eã te. de rta. & qua. or. Tertius, propter raritatè clericorù. 21. q. 1. c. clericus. in fin. Quartus, si ecclesia est annexa dignitati, vel præbendæ, in quo casu, cum ipse teneatur in maiori personaliter residere, in ipsa parochiali tenetur habere vicariù perpetuum, & idoneum, qui cõgruentem habeat de prouentibus ipsius ecclesie portionem: vt in cap. extirpande. de præbend.

48 QVINTVS, quando habet vnã intitulatam, & aliam commendatam. c. si plures. 1. q. 1. Talis commenda nõ potest fieri, nisi sacerdoti habenti 25. annos, & de vna tantum ecclesia parochiali, & pro euidenti utilitate, vel necessitate, & non durat nisi per sex menses. c. nemo. de elect. lib. 6. declaratur in extrauagante Ioan. 22. quæ incipit, Execrabilis. & tenetur seruare ecclesiam commendatam in statu suo: secundum Panor. in c. de monachis de præbend. Vnde si in monasterio stabant viginti monachi, debent stare, & de similibz. de superfluo. autem potest sibi prouidere.

49 Si mandatur prouideri de beneficio alicui habenti aliud, non propter hoc conceditur, quòd habeat simul duo. capit. non potest. de præbend. lib. 6.

50 SI Papa alicui habenti aliquod beneficium, motu proprio cõferat aliud, non facta mentione de priori, non pro-



propter hoc inuadatur gratia. Secus si ad petitiones alterius concedit. c. si motu proprio. de prae. lib. 6.

<sup>51</sup> BENEFICIORVM fructus, vacationis tempore, in utilitatem ecclesiae expendi debent, vel successoribus referuari: alioquin in cathedralibus ecclesijs, vel regularibus, & collegiatis si fiat eontra, per capitula, conuentus, collegia, vel singulares personas, ipsi contra facientes sunt suspensi ab officio, & beneficio quouisque satis fecerint, non obstantibus priuilegijs, consuetudinibus, vel statutis, etiam iuramento, vel sedis Apostolicae auctoritate firmatis. c. quia saepe, de elect. li. 6.

Similis prohibitio fit generaliter de omnibus ecclesijs. Vide c. praesenti. de offi. ordi. lib. 6. & quomodo Episcopi, vel superiores sunt suspensi ab ingressu Ecclesiae.

<sup>52</sup> FRUCTVS iam percepti de beneficio, secundum ea, quae dicta sunt supra, ver. Alienatio. §. 3. clarum est, quod alienari possunt, sed recipiendi locari possunt, etiam si sunt decimae. c. vestra. de loca. quae locatio non debet extra tempus locantis extendi, quia clericus in beneficio, comparatur usufructuario, vel tutori. l. 6. q. 6. c. illud. Si tamen locatio fuit facta nomine ecclesiae, successor ratam habere debet. secundum Inn. in cap. querela. ne pra. con. vi. fu.

<sup>53</sup> PRAELATVS, vel rector ecclesiae potest locare fructus sine solennitate, & auctoritate superiorum, vsque ad annos, 7. vt in dict. capit. querela imò secundum Panormit. ibi, pro tota vita sua. Dicit tamen idem Panormita. quod si locatio fuit facta ultra nouem annos, non tenet, nisi sit facta secundum solennitatem iuris, & in casu licito, qui casus not. in c. in summa. 12. q. 2. Et si ista interuenierint, successor tenetur ratam habere. Si tamen ecclesia esset lesa, possit restitutionem in integrum petere. c. ad nostram. de re. eccle. non ali. Si vero est facta ad modicum tempus, id est infra annos decem, & locans non habebat administrationem, successor non tenetur stare contractui, quia non potuit obligare beneficium suum vi-

tra tempus vite suae, cum comparatur usufructuario, qui alienare non potest. l. si quis domum. ff. loca. vel habet administrationem, vt plebanus, vel rector, & tunc si locat nomine proprio, non tenetur stare, aliter tenetur.

<sup>54</sup> Si habens administrationem, multa debita contraxit vigente in firmitate, honesta causa, vel utilitate ecclesiae, successor tenetur soluere, secundum Pan. c. ex praesentium. de pigno. etiam si habebat bona aliunde, quia debet de bonis ecclesiae sustentari, secundum eundem Pa. ibi supra, nisi de bonis patris ad viuendum se obligasset. Potest etiam praelatus, & rector obligare bona ecclesiae generaliter, pro oblatione contractus rationabilis. Vide Pa. c. 2. de preca. & c. dilecti. de arbi. & potest prouidere sibi, & parentibus per modum elemosynae magis, quam extraneis, secundum Pan. in c. coniugatus. de conuer. coniuga. Vide infra, Clericus, quomodo bona clericorum debent dispensari. a. §. 22. vsque ad 26.

<sup>55</sup> CANONICI, vel alij beneficiati, qui diuinis officijs non interfunt, quotidianas distributiones percipere non debent, etiam contraria consuetudine existente, restituereque perceptas tenentur, nisi ob infirmitatem, vel rationabilem causam, vel corporalem necessitatem, vel ecclesiae utilitatem excusentur, vt in capitu. 1. libr. 6. de cle. non re. Idem de anniuersarijs defunctorum, ibi.

<sup>56</sup> Beneficia ecclesiastica iniuste possidens, tenetur resignare in manus illius, cui competit recipere, vel in articulo mortis alteri recipienti nomine illius, cui erat fienda, secundum Inn. fructusque perceptos restituere. cap. post translationem, de renu. §. rursus.

<sup>57</sup> Si quis beneficium minus canonicè obtinet, scilicet per simoniam, vel fraudem, aut surreptionem aliquam, non praescribet in perpetuum, secundum Arc. & in c. postulasti. de cle. ex mi. Tales secundum Host. vita necessaria strictè poterunt retinere, de consilio confessoris, ita vt solum ne egeat, & nisi obtineant dispensationem, & dona-



donationem, non possunt absolui, nisi restituant: nec subditi hoc scientes, tenentur obedire eis.

<sup>56</sup> PROPTER criminē lese maiestatis humanæ, vel diuinæ, ut heresis, & schismatis, commissum à patre, filij beneficijs habitis ecclesiasticis non debent priuari, ut dicit gloss. in c. satis peruersum. § 6. d. licet prohibeatur admitti. de hære. li. 6. ca. quicumq; de schisma. li. 6. c. vnico.

<sup>59</sup> SI Papa, vel maiores, qui possunt dispensare, sciunt, & tolerant expressè, vel alius de mandato eorum, obinentem beneficium nō canonicè habitū, remouetur omne impedimentum, quod si non fuit expressa tolerantia, nec approbatio, vel fuit ab inferiori, non valet, secundum Ar. flo. post alios.

<sup>60</sup> HABENS beneficium, quod aliquo modo requirit residentiam, si monitus, sine causa non redeat, potest spoliari, secus si non requirit residentiam, quia sine noua causa rationabili, non potest reuocari. 8. q. 1. c. quia frater.

<sup>61</sup> OMNE beneficium secundum Ioan. And. post Inn. requirit residentiam, nisi probetur contrariū, ca. vlti. de clericis nō re. nec debet ita strictè intelligi residentia, quin quandoq; possint discendere, secundum Io. And. supra, cessante tamen negligentia, & fraude.

<sup>62</sup> DICENTVR residere pro negotijs ecclesie se absentantes, c. ex parte. eod. tit. Secundò, si rationabiliter se absentat, ut quia capitalem inimicitiam habent ca. inter quatuor. eod. tit. Tertio, si ex mandato Papæ in curia residet, secundum Hostien. vel Episcopò seruiant, iuxta capi. ad audientiam. eod. tit. Quarto, si in Theologia studeat, ut in cap. super specula. de magi. non autē in alijs scientijs, sine licentia prælati. cap. tuz. eod. tit. de cle. non re. & hec tantum per quinquentiam, nec distribuones quotidianas recipiunt, nisi sint infirmi, qui tolebant residere. in d. c. ad audientiam.

<sup>63</sup> EX probabili causa non licet abesse sine licentia prælati, nisi hoc consuetudo permittat, secundum Innoc. & Host. non tamen vagentur, quia hoc

consuetudo non potest permittere.

<sup>64</sup> DVM nescitur vbi vagans clericus sit, ad ecclesiam tribus edictis citabitur, nec sufficit, secundum Ioan. And. vnū edictum peremptoriū: & expectatus per sex menses, si non veniat, priuabitur ecclesia. quam habet. c. ex tuz. eod. tit. nec hoc de Episcopis absentibus intelligitur.

<sup>65</sup> PAPA mandante alicui, ad quem spectat, quod beneficium cōferat Petro, & ipse conferat Antonio, collatio tenet, ipse tamē pro transgressione debet puniri. c. dilectus filius. de præb. fallit in multis casibus. Vide Tab. beneficium. 3. § 7.

<sup>66</sup> SI duo canonici sunt electi ad vnū canonicatum, & vnā præbendam in ecclesia, etiam interueniente auctoritate legati sedis apostolicæ, non tenet receptio, secundum Innoc. in c. dilecto. de præben. non enim licuit prælato infringere priuilegiū canonicorum. Si tamen ipsi canonici, ad quos spectat receptio, auctoritate propria fecissent, teneret receptio, non præbendæ diuisio. c. per illorum. eod. tit. primum enim est de iure priuato, cui potest renuntiarī, nō autem secundum, quod est de iure communi.

<sup>67</sup> DE vna præbenda possunt fieri duæ, si eius facultates superent, alias diuides tenetur integra. Intelligè quādo vacat. c. vacante. de præbend. requisitis tamen quatuor, quæ ponit Host. & Ioan. And.

<sup>68</sup> CLERICI non residentes in beneficijs suis, nec in eis officia sua implentes, sed voluptatibus vacantes, nil iuris habet in rebus ecclesiasticis: & si recipiunt, restitutioni tenentur, secundum Archid. flo. 3. par. tit. 1. §. c. 1. nam redditus ecclesiarum, sunt stipendia seruentium, quicquid sit de foro contentioso, infra Residentia. §. 3.

<sup>69</sup> CLERICVS nō dicens officium sine rationabili causa, tenetur restituere fructus, quos interim recipit, secundum Io. Cal. c. 1. de cele. mis. quia clericus non residens, priuatur beneficio, & fructus, ut in c. pe. de cle. non re. sed non dicens officium, effectualiter non

non



nō refidet, igitur debet prluari fructibus. Item beneficiū datur propter officium: vt in c. si 92. d. quamuis Pa. dicat ibi, quōd hęc opinio est nimis rigida, & q̄ clericis nō solū datur beneficiū propter officium, sed etiā vt de patrimonio Christi viuant, & nō nēdicent. c. 2. de præben. Videtur q̄ concludere, & bene, quōd non tenetur ad restitutionē: similiter & Ca. infra, Restituito. Vide aliquid ad propositum. infra, Clericus. §. 17.

70 CLERICVS potest trāsire de vna ecclesia ad aliam, secundum Arc. flo. 3. par. ti. 15. c. pe. Primò, causa necessitatis: puta propter inimicitias, & huiusmodi, quo casu etiā si propria auctoritate transeat, nō punitur. 7. q. 1. c. pastoralis. Secundò propter utilitatem, vt si vni ecclesie magis sit utilis, quam alteri, & hoc auctoritate superioris. 7. q. 1. cap. mutationes. Tertio, propter sanctitatem, vt cum trāsit ad religionem, in qua professus non potest ampliùs repetere primam ecclesiā. 7. q. 1. c. hoc nequaquā. Si verò propter cupiditatem, vel ambitionē ad aliam transeat, debet vtraque carere. c. si quis Episcopus. 7. q. 1. & c. quāto. de transla.

71 IN prædicto transitu requiritur licentia, vel consensus superioris. Vide c. mutationes. 7. q. 1. c. qui vxorē. 33. q. 5. 71. d. per totum. tamen de transitu clerici ad religionem, nisi sit Episcopus, non oportet petere licentiam, sed de trāsitu vnius religionis ad aliam, infra, Religio. §. 14. vide Tab. beneficium. 3. §. 17.

72 IN permutatione beneficiorū dat Pan. in c. ad quæstiones de re. permut. regulam vnā generalem, quōd omnia beneficia, & quæcunque iura habentur in ea qualiacunque sint, cum auctoritate superioris permutari possunt quam per dictum commune doctorum probat. Quōd autem auctoritate superioris hoc possit fieri, patet per c. quæstū. de excess. præla. & multa alia capi. & secundū Ioan. And. Qui enim habet auctoritatē conferendi beneficia, etiā in trāsmutatione: ex quo

sequitur quōd sede vacante, capitulū, non habet hanc auctoritatē, quādo collatio est solius episcopi: aliās habet secundum eundem Io. And. in cle. v. nica de re. permut.

73 VOLENTES permutare beneficia, possunt inter se tractare, dummodo nihil cōcludant de permutatione, sed se dispositioni superiorum supponant, & hęc opinio secundum Pan. in d. c. quæstū est verior, quāuis Ioan. And. post Host. videatur sentire, quōd non possunt in d. c. quæstū, dicit tamen Pa. ibi, quōd hęc opinio est multū periculosa.

74 PRÆBENDÆ eiusdē ecclesie, & eiusdē qualitatē, permutari non possunt sine auctoritate superioris, secundum veriorē opi. secundū Pan. in tex. d. c. quæstū. & Host. & Ioan. de Lig. in c. si. eod. tit. licet Innoc. in d. c. quæstū oppositum teneat.

75 QUANDO quis renūciat beneficio tenui, vt habeat pingue, secundum Felin. in capit. verisimile. de præsump. est præsumptio simoniæ, nisi ex alia causa sit præsumptio ad oppositum, vt quia cura est magna, & ipse est senex.

76 IN tali commutatione potest dari pecunia in recompensationem temporalium prouentuum, non autem spiritualium, quia esset simonia: nec etiā simpliciter, & sine determinatione debet dari ab altera parte, sed debet seruari cautela. tex. d. c. ad quæst. secundū Pan. ibi.

77 SI quis fiat monachus cum spe vt fiat Abbas, & qui ordinatur, vt consequatur beneficium simoniam, mentaliter committit, secundū glo. in c. consuluit. 74. d. c. per laicos. nō tamen tales dignitates adepti tenentur resignare, nisi pactum præcessisset, tunc deberent renuntiare, quia interuenit simonia expressa c. si. de simonia. Et hæc omnia secundum Pa. c. cum ad nostrā. de elect. Tenetur tamen talis per penitentiam Deo satisfacere, vt probatur in c. si. de simo.

78 BENEFICIUM in commendā, secundum Panorm. in cap. cum olim. de



de re. permu. potest permutari, quam  
uis Fed. dicat simpliciter contrarium.  
Expectatiue verò non, secundum eun-  
dem Panor. ibi, quia non excedit per-  
sonam, cui conceditur. vt in c. cui. de  
præb. lib. 6.

<sup>79</sup> **E C C L E S I A** concessa in cōmen-  
da. secundum Felin. in c. si constiterit. de  
accu. ad libitū concedentis potest re-  
uocari, secus si detur in titulum.

<sup>80</sup> **D E** ætate requisita primò ad Ab-  
batem, & Abbatissam. supra, Abbas. §.  
1. Abbatissa. §. 1. & in c. indemnitarib.  
de elect. l. 6. & c. eum in cunctis. §. infē-  
riora de elect.

<sup>81</sup> **I N** prioratu conuentuali habente  
sub se collegiū, requiritur ætas anno-  
rum 25. ar. in cle. ne in agro. §. ceterū.  
de sta. re. Si verò sit prioratus non cō-  
uentualis, exercēs curam animarum,  
de consuetudine etiam debet habere  
annos 25, quia debet esse presbyter,  
ad quem ætas 25. annorum requiri-  
tur. cle. generalem. de æta. & qual. or.  
Si verò curam nō exercet per se, vide-  
tur sufficere ætas 20. annorum. vt in  
d. §. ceterum. Si autē est prioratus li-  
ne collegio, & sine cura, sufficit ætas 7.  
annorum. vt videtur velle Fed. consi.  
47. Alij dicunt, & melius, quòd saltē  
requiritur ætas 14. annorum. arg. in c.  
decorum. de æta. & qual. & in d. §. cæ-  
terum.

<sup>82</sup> **I N** Episcopatu ætas 30. annorum  
requiritur. vt in d. ca. cum in cunctis.  
de elec. Si sit dignitas secularis benefi-  
cij inferior, requiritur annūm 25. vt in  
d. §. inferiora. quæ quidem ætas requi-  
ritur etiam in beneficio curato. vt in  
d. §. inferiora. Potest tamen Episco-  
pus dispensare in personatu non cu-  
rato. in anno 20. non autem in alijs di-  
spensat. tex. in c. 1. de æta. & qual. lib.  
6. & Pa. in d. §. inferiora. vltimo not.  
In beneficio verò simplici, & sine cu-  
ra. secundum Cal. sufficit ætas 14. an-  
norum. & est casus in dicto c. indeco-  
rum. licet glo. ibi aliter intelligat. nec  
sufficit ætas 7. annorum, quia talis nō  
est idoneus regere ecclesiam, quum  
seipsum regere nesciat, & quando be-  
neficiū sonat in nōmen rectoriæ. Si

verò hoc beneficiū non sonat in vo-  
cem rectoriæ, sed est beneficiū in ec-  
clesia, requirens maturitatem consi-  
lij, vt canonicatus ecclesiæ cathedra-  
lis, secundum Hoff. & Ar. in d. e. sic  
tempore. requiritur ætas 14. annorū.  
quia ante illam ætatem non potest sa-  
pienter iura tractare, & hanc opinio-  
nem seruat Curia. Si non requirit ma-  
turitatem consilij, sufficit ætas 7. an-  
norum. hæc Pa. in d. e. super inordina-  
ta. de præben.

<sup>83</sup> **C O N F E R R E** beneficia ecclesia-  
stica pueris existētibz, alijs idoneis a-  
dultis, non solum inexcusabile, sed in-  
tolerabile videtur, tum quia pueri tan-  
tum in spe sunt idonei, adulti autē in  
re, tum quia diuinum officium deuotē,  
& studiotē persoluere nesciunt, tum  
quia hoc reprehenditur. c. super inor-  
dinata. de præben. Et si aliqua prouisi-  
one in ecclesia ordinatæ sint p pue-  
ris, nō tamē beneficia ecclesiastica, se-  
cundum Caie. ibi, in summa.

<sup>84</sup> **P R O M O V E N D V S** ad quodcū-  
que beneficiū ecclesiasticū, sufficit  
secundum veriorem opinionem quòd  
sit in minoribus, & quòd habeat tem-  
pus, vt possit promoueri infra annum  
in his beneficijs, quæ requirunt aliquē  
ordinem. Excipitur de Episcopatu,  
in quo requiritur quòd sit in sacris. c.  
à multis, de elect. secundum Pan. post  
Ioan. Cal. c. dudum. el. 1. de elect. &  
doct. ibi, quamuis alij aliter dicant. Si  
tamen beneficiū esset fundatum cum  
hac conditione, vel statuto ab Episco-  
po, vel ab instituyente beneficiū, nō  
valet promotio, nisi sit sacerdos, si cō-  
ditio sic dicit, quòd non possit pro-  
moueri, nisi sit sacerdos. Et quādo est  
ab instituyente beneficiū, non intelli-  
gitur derogari per clausulas generales  
a Papa dicendo, non obstantibus qui-  
buscunque, & c. Secus si esset ab E-  
piscopo. Et Panor. in sine d. §. infē-  
riora. c. superscripti facit regulam ge-  
neralem, quòd quælibet dignitas, vel  
personatus, vel officium, quæ habent  
curam animarum, requirunt sacerdo-  
tium: & consequenter tenentur acci-  
pere sacerdotium, quā citius pos-  
sunt.



sunt. ideo debet habere tempus. Secus ubi non est cura. nec in iure specificatur de aliquo ordine non tenentur ad factos ordines ascendere, nisi aliter loci consuetudo haberet.

<sup>25</sup> **Q**UO infra annum in ecclesijs parochialibus non facit se promoueri ad sacerdotium, in continenti est priuatus. vt d. Pan. in d. s. inferiora. & per c. licet canon. de elec. lib. 6. quod tamen non intelligitur in ecclesijs parochialibus collegiatis. vt in ca. statutum. de elec. li. 6. quia secundum Pan. non est tantum periculum, quia ibi plures sunt sacerdotes. Propter tamen studium, Episcopus potest dispensare, vt vsque ad septennium habens beneficium cum cura animarum, non teneatur promoueri ad sacerdotium, teneatur tamen in primo anno acceptationis subdiacorum accipere. cap. ex eo. de elec. l. 6. Et talis dum stat in studio, de bonis ecclesie potest accipere, quia in utilitate ecclesie dicitur exponere, secundum Dominicum.

<sup>26</sup> **A**CCIPiens beneficium, & non intendens clericari, tenetur de perceptis ad restitutionem, secundum tex. & glo. in c. commissis. §. ceterum. de elec. l. 6. & conferens scienter ecclesiam indemnem seruare tenetur. Secus si a principio bonam intentionem habuit, postmodum mutatus est, non tenetur, secundum glo.

<sup>27</sup> **S**EMPER in rescripto apostolico ad beneficia, intelligitur, si preces veritati innitantur. cap. ex parte. de rescriptis. & de cura mentio debet fieri. feli. in c. nostra. de rescript. co. 20. Expressio valoris de iure communi non est necessaria, in impetratione, secundum gloss. in clemen. 1. de prebend. tamen si exprimitur, & sit maioris valoris, impetratio non valet, quia in gratijs apostolicis, causa habet vim conditionis, etiam si ex simplicitate fuisset dictum, nec ignorantia adiuuat, quia debet se informare. Debet etiam mentio fieri omnium beneficiorum, quae quis obtinet tempore impetrationis, alias gratiae sunt nullius valoris.

<sup>28</sup> **Q**UANDO gratia fit moru proprio, non est necessaria mentio valoris, nec curae vel alterius. Vide Felin. in capitul. ad aures. de rescripti. col. secunda. versic. de expressione valoris. Ibi enim multae limitationes ponuntur.

<sup>29</sup> **Q**UANDO aliquis vitiosus, & de facto nanciscitur possessionem alicuius beneficii, etiam quod tenentia sit nulla, quia a non habente potestatem conferendi est data, alia beneficia, quae simul cum illo teneri non possunt, dicuntur vacare. cap. cum qui de pra. lib. 6.

<sup>30</sup> **B**ENEFICIA habentes in multis, peccant, vt si non resideant sine causa rationabili, si fructus in malos vsus conuertunt, si sunt circa curam animarum negligentes, & in multis alijs, de quibus iuxta praedicta sunt interrogandi.

## BESTIALITAS.

**B**ESTIALITAS est cum quis morte bestiarum operatur, in comedendo, occidendo, & coeundo, & communiter peccatum mortalissimum est, nisi propter imperfectionem actus, vel loci causa fiat. Vide Tho. secunda secundae. quest. 158. a. 11. infra, Luxuria. §. 1. vt eum quis ad rem non eiusdem speciei per coitum accedit.

## BIGAMIA.

<sup>1</sup> **B**IGAMIA secundum Petr. de Pa. 4. sentent. d. 17. quest. 4. a. 1. est defectus ex secundis nuptijs proueniens. Et Tho. 4. sentent. d. 27. quest. 3. a. 1. dicit quod bigamus sit irregularis, quia significatio sacramenti non remanet integra.

<sup>2</sup> **B**IGAMIA contrahitur, cum quis habet plures uxores de iure successiue. c. acutus. d. 26. & ambas cognouit. Secundum, cum simul plures habet. vna de iure, alteram de facto, siue ambas de facto, ambasque cognouit. ca. nuper. de bigamis. Tertio, quando viduam duxit uxorem. Et his omnibus irregularitas est annexa, vt dictum est. Intellige tertium modum, si vidua a primo viro fuit cognita, & ipse etiam cognouit, sit bigamus. Similiter si contrahi t